

VI

IN CASSIVM SEVERVM

Iambicus

Quid immerentēs hospitēs vexās, canis,
 Īgnāvus adversum lupōs ?
Quīn hūc inānēs, sī potes, vertis minās
 Et mē remorsūrum petis ?
Nam, quālis aut Molossus, aut fulvus Lacōn,
 (Amīca vīs pāstōribus)
Agam per altās aure sublātā nivēs,
 Quaecumque praecēdet fera.
Tū, cum timendā vōce complēstī nemus,
 Prōiectum odōrāris cibum.
Cavē, cavē ; namque in malōs asperrimus
 Parāta tollō cornua :
Quālis Lycambae sprētus īnfidō gener,
 Aut ācer hostis Būpalō.
An, sī quis ātrō dente mē petīverit,
 Inultus ut flēbō puer ?